



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Dominus pars hæreditatis me, & calicis mei. Tu es, qui restitues  
hæreditatem meam mihi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

Dominus pars hereditatis meae, & calicis mei.

Tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Hierony. posteriorem partem sic uertit, Tu possessor fortis meae, pronomen mihi superfluit. Est autem uersus hic sumptus ex lege Mosi, ubi Leuitis & Sacerdotibus scribitur non esse datam hereditatem in ter filios Israel, sed dominus (ait) est eorum hereditas. Cuius amulatione & hic dicit, Dominus est pars mea hereditaria, & arbitrator, ex figura ista, distributa inter filios Israel terrae, & sacerdotibus negata, prophetam, illustrante spiritu, psalmum hoc loco hausit, scilicet non fore Christi hereditatem communem hominibus, nec de sanguinibus & terrenis acceptam, sicut leuitarum nulla erat inter filios Israel. Partio autem, hic esse hebraicum, pars hereditatis, pro pars hereditaria, seu portio mihi distribuenda, Multi enim per hereditatem, intelligunt Ecclesiam, cuius sortem esse dominum certum est, sed pro persona sua loqui Christus mihi uidetur, de hereditaria portione, quae se contingat, quod confirmat id quod sequitur, Et calicis mei, Diximus enim psal. x. Calicem usque scripturae, significare, mensuram unicuique diuinitus definitam & reddendam pro meritis suis, & calicem bibere, sit pati, uel accipere hanc definitam mensuram, Et hic quoque hebraismus est, Dominus pars calicis mei, pro dominus, calix meus, seu id quod mihi definitum est reddi, ut nihil aliud quam ipsum dominum accipiam per retributione.

Mirum itaque, moriturus gloriatur se habere hereditatem, eam quae sit ipse dominus, iterum indicans sese suscitandum a mortuis quo accipiat hereditatem hanc promissam. Quid autem non habet, qui ipsum omnium dominum habet? Quis autem habet dominum omnium? qui nihil aliorum habet, & non quare, nisi ea quae dei sunt, etiam per mortem & omnia mala, ita fit, ut dum omnia amittit, omnia inueniat, dum nihil hereditatis elegit, omnia sua sponte ueniant. Ideo secure dicit, Tu es qui restitues hereditatem meam, Melius habet, Tu statues hereditatem meam, non enim de restitutione, sed constitutione loquitur, ac si dicat, Meum est omnia facere, & pati, omnia amittere & relinquere, ut tibi obediam; Tu sine mea cura, statues & firmabis, quae mea esse debeat possessio. Ego non quero eam, contentus quod tu sis hereditas & portio mea, quem ubi habuero, hereditas mea bene fundata, & posita in tuto est, ita uidemus quod nihil Christus sibi arroget, quod nihil sit pro se sollicitus, tantum cui ut deo patri obediat, cetera omnia curata secure presumunt. Et nos hominum in quibus tamen serui sumus alieni, quasi in manibus nostris sita sit uel salus uel perditio Ecclesiae, cur non Romanenses sui seruilis primatus, causam, simili fide, committunt deo, cum Christus haeres & dominus omnium, commendet tamen eam patri, nihil pro ea sollicitus.

Funes ceciderunt mihi in praecclaris:

Etenim hereditas mea praecclara est mihi.

E c

iij

Perlat